

De visitatione canonica Abbatis Parcensis Drusii in Hispania

Plus quam semel iam in hisce Analectis sermo fuit de habitudine Praemonstratensium Hispanorum ad gubernium centrale Ordinis, Capitula Generalia non exclusis, inde a tempore quo Hispani isti inde a saeculo decimo sexto in Congregationem, practice separatam, sese univerunt¹⁾. In habitudine illa visitatio canonica ab Abbate Parcensi, Drusio, iussu Capituli Generalis, incoepta et ab Hispanis practice reiecta, momento non caret. Eo quod manifestat separationem quasi completam Hispanorum istorum Praemonstratensium ab aliis canonicis eiusdem Ordinis. De hac visitatione Drusii agere intendimus in praesenti.

1. Capitulum Generale Ordinis, ex sua parte, iteratis vicibus conatus adhibuit ad hoc ut huic statui practicae separationis remedia apta afferrentur. Sub hac ratione, apparet Capitula illa Generalia illius aetatis visitatores canonicos designare, qui, nomine Capituli, apud Hispanos visitationem canonicam instituerent. Ita legimus in Actis Capituli Generalis anni 1625 (ms. Laon 538, p. 623): «Praelatos Hispaniae et Poloniae, qui nec comparuerunt, nec litteras excusationum miserunt, censuit praesens Capitulum ad Capitulum proxime indicendum sub poena contumaciae et excommunicationis esse citandos per certum nuntium qui de mandato capitulari executi ad contumaciam convincendam sufficienter testari posset».

Relate ad visitatores, in eodem Capitulo (*l.c.*, p. 624), inter alia, dicitur: «Circariam Hispaniae (visitabit) Dominus Parcensis». Inde ab anno 1601 abbas Parcensis erat Joh. Drusius, et quidem usque ad annum 1634, quo anno obiit²⁾. — In Capitulo Generali anni 1627 (*l.c.*, p. 630):

¹⁾ Cfr. P.E. VALVEKENS, *L'Ordre de Prémontré et le Concile de Trente: La Congrégation des Prémontrés d'Espagne* in: *Analecta Praemonstratensia*, 1932, t. VIII, pp. 5-24; T. MORAL, *Bases para una historia del «Prémontré» en España*, in: *Anal. Praem.*, 1968, t. XLIV, pp. 282-308; J.B. VALVEKENS, *Documenta quaedam de habitudine Abbatis Generalis Despruets (+1596) ad Congregationem Praemonstratensium Hispanorum*: *ib.*, 1967, t. XLIII, pp. 226-271; *De historia Praemonstratensium in Hispania notulae quaedam*: *ib.*, 1980, t. LVI, pp. 41-75.

²⁾ J. Drusius (Druys), natus 1568; defunctus 25 martii 1634. S. Theologiae Licentius (Lovanii): 1595; magister novitiorum; supprior: 1596. Abbas: 4 junii 1601; vicarius Abbatis Generalis Brabantiae et Frisiae: 1605. Visitor universitatis Lovaniensis: 1606;

«Circariam Hispaniae (visitabit) Rev. D. Parcensis, cum potestate substituendi». — Tandem in Capitulo Generali anni 1630, de Circaria Hispanica, haec edicuntur: «Audito Rev. Domino Parcensi (Drusio), Visitatore capitulari Circariae Hispaniae, referente quod indictionem praesentis Capituli Generalis ad illius Circariae Provincialem (qui, pro annis 1627-1630, erat Philippus Bernal³); et pro annis 1630-1633, Garcias Ossorio Alvarez⁴), et ostendente per litteras quod eandem

universitatis Duacena: 1616. Sub ejus Vicariatu duo Capitula Provincialia in Brabantia celebrari curavit: 1620 et 1624. Ei commissa fuit a Capitulo Generali cura compositionis novorum Statutorum Ordinis; quae publicata de facto fuerunt anno 1630. Cfr.: E. VAN EVEN, *Biographie Nationale*, t. VI, Bruxellis, 1878, coll. 183-186; L. GOOVAERTS, *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, t. I, Bruxellis, 1898, pp. 206-208; t. IV. ib., 1909, p. 58; N. WEYNS, *Biografisch Woordenboek*, art. *Drusius*, Bruxellis, 1968, coll. 279-285.

³) Philippus Bernal, canonicus abbatiae Ibeas de Juarros, (non longe ab urbe Burgos), Cfr. A. HUBER, *Die Prämonstratenser und das Trienter Konzil* in: G. SCHREIBER, *Weltkonzil von Trient. Sein Werden und Wirken*. II, Freiburg i.Br., 1951, p. 487. Scribit de eo: N. BACKMUND, *Los Abades Trienales de la Congregacion Premonstatense de Espana in Hispania Sacra*, 1958, t. XI, p. 11: «professus 1597, + 18.XII.1654. - Ab. Gen.: 1627-1630. - Ab.: Ibeas: 1636-1639, 1648-1651; S. Norberti 1615-1618; La Vid 1618-1621. Secr. Gen.: 1630-1633. - Natural de Logroño, fundó el arca para Grados de la Orden en Salamanca. Fue de granda familia, heredó el arca para Grados de la Orden en Salamanca, heredó muchos bienes que empleó en dicha fundación; ésta se llamó más tarde «Arca Bernal». Fue doctor y professor de teologia en Salamanca, autor de varios libros sobre la Purissima Concepción, en 1628 calificador del Oficio de la Inquisición. Come procurador de la Congregación en Roma defendió la separación de Prémontré, y la tesis errónea del carácter monacal de su Orden». Cfr. L. GOOVAERTS, *l.c.*, t. I, p. 53. - Testatur de ipso de Noriega in notis abbati Hugo missis pro compositione suorum Annalium (ms. Nancy, 1766 [1993], p. 209: «Zelo suae Religionis ductus, antiquam observantiam habitus et reformatam disciplinam regularem promoveri allaboravit, praecipue inter omnes Pater Philippus Bernal, summopere instructus de Instituto et Constitutionibus Ordinis Praemonstratensis ac pridem Generalatus munere suae Congregationis Hispaniarum laudabiliter perfunctus, qui recursum habuit ad Nuncium Hispaniarum pro opportuno remedio exinde plurimas et graves persecutiones passus fuit per Superiores aliosque Religiosos usque ad carcerationem ut illum cogerent desistere ab assumpto recurso, ipse non minus constans quam pro bono suae Religionis libenter persecutiones amplectens negotium diligentius promovit et a dicto Hispaniarum Nuncio de anno 1636 mandari obtinuit sub poena excommunicationis dimitti habitum noviter immutatum et antiquum reassumi. Super quo delata controversia ad hanc Sacram Congregationem sub die 19.Jun.1637 approbandi mandatum praedictum Nuncii rescriptum fuit Nuncio qui prohibeat et omnia restituat in pristinum».

⁴) Garcia Alvarez Ossorio, fil. de Avila. — Ab. gen.: 1630-1633; Ab. Avila: 1618-1621; S. Norberti: 1624-1627, 1633-1636.: N. BACKMUND, *l.c.*, p. 433. — C.L. HUGO, *Sacri Ordinis Praemonstratensis Annales*, t. II, Nanceii, 1736, col. 382: «Sanguinis nobilitate clarus, cordis magnanimitate et rerum agendarum peritia clarior, Abbas renuntiatus, Ecclesiam suam (S. Norberti Matriti) mole, artis elegantia, ornatuum splendore insignem aedificare auspicatus est, ea celeritate promovit, ea solertia consummationi providit, ut successoribus suis vix partem gloriae operis suscepti reliquerit, necessariorum sumptuum Procurator». — In ms. Nancy 1766 [1993], p. 12 de eo legimus: «D. fr. Garcia Alvarez

indictionem receperit, nec eam suas litteras legere dignatus sit et multo minus respondere nec se excusare. Capitulum ordinavit ut praedictae Circariae Visitor a praesenti Capitulo deputatus (id est: Drusius) sub poenis ecclesiasticis Provinciale pro tempore existentem compellat ut privilegium exhibeat quo Circariam ostendat exemptam ut in Capitulis Generalibus nullus Praelatorum eiusdem Circariae comparere debeat, et dictum Provinciale venire aut mittere recusantem debite puniat et castiget» (*l.c.*, p. 649 s.). In eodem Capitulo Generali anni 1630 (*l.c.*, 652), iterum constituitur Visitor Hispaniae. — In Capitulo Generali anni 1633, unus tantum abbas ex Belgio aderat Praemonstrati: abbas scilicet Leffiensis⁵). Et de Praemonstratensibus Hispanicis in Actis huius Capituli sermo non occurrit.

2. Quod Abbati Parcensi, iam anno 1625, et in Capitulis annorum 1627, et 1630 iniunctum fuerat de visitatione instituendi apud Hispanos, tandem in praxim deducere potuit Abbas Visitor Drusius anno 1631. Tunc tandem ex parte Gubernii Status ipsi Drusio concessa est licentia adeundi Hispaniam. Notum profecto est eo tempore regiones hodierni Belgii regi a rege Hispaniae. Visitatio proinde illa tunc tandem executioni mandari potuit. Abbas autem Parcensis, Visitor, ex illa et in illa visitatione obtinere non valuit effectus positivos expectatos et desideratos ex illa visitatione.

Drusius erat absque dubio, inter Abbates maxime praestantes Ordinis illo tempore. Natus anno 1568, abbatiae Parcensi sese aggregavit; die 29 maii 1588 professionem religiosam emisit. Licentiatum in s. Theologia in universitate Lovaniensi obtinuit, die 15 septembris 1595. Variis functionibus in Abbata laudabiliter expletis, abbas suae canoniae eligitur die 9 maii 1601. Abbatiam suam vere rexit. Praeterea mox variae missiones ipsi a Nuntio Apostolico commissae sunt. Inter quas visitatio universitatis Lovaniensis et universitatis Duacenae. Archidux, qui nomine regis Hispaniae tunc regiones Belgii regebat, Albertus nomine, ipsum promovere intendit ad archiepiscopatum Mechliniensem; et postea ad episcopatum Gandavensem. Qua vicarius Generalis pro Circaria Brabantiae, iteratis vicibus visitationes canonicas in canoniis Circariae foeliciter

Ossorio, Canonicus Sti Spiritus Abulensis, Magister in sacra Theologia, ex stirpe nobilissima oriundus, assumptus est in Abbatem Retortensem, in Capitulo Retortae etiam celebrato, die 20. Aprilis 1630. Vir certe Religiosus et gaudens et Monasterii benefactor, praefuit integro triennio».

⁵) Joannes Noizet, qui abbas fuit Leffiensis annis 1610-1636. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*. Tom. II, Straubing, 1952, p. 388.

perfectit. Capitula Provincialia annis 1620 et 1624 indixit. Ipsi Drusio, commissa est nova redactio Statutorum Ordinis, item ac Ordinarii. In hoc opere ad bonum effectum deducendo, validum adiutorium invenit ex parte confratris sui Parcensis, Masii, qui postea erit successor Drusii in regenda Abbatia Parcensi⁶). Obiit Drusius 25 martii 1634.

Quod attinet Statuta Ordinis, publici iuris facta anno 1630, merito scribit A. HUBER: «Die äusseren Abschluss fand das Reformwerk durch die Herausgabe der erneuerten Statuten im Jahre 1630. Seit 1605 war daran gearbeitet worden. Die endgültige Gestalt gab diesen der belgische Abt Joh. Drusius von Parc. In den nachtridentische Zentralisation des Ordens bezeichneten sie einen Markstein»⁷). Statuta anni 1630 per plura saecula codicem iuridicum Ordinis efformarunt; aliis omissis, plenam attentionem nostram adhuc merentur tum praeclara Praefatio ad omnes Religiosos Ordinis ipsis Statutis praemissa, tum caput 19 Distinctionis primae Statutorum in quo munus Magistri Novitiorum aptissime describitur.

3. Huic Abbati Drusio et in Capitulo Generali anni 1630 commissum est munus adeundi Hispaniam, ad hoc ut monasteria Ordinis ibidem visitaret canonice, et, hac occasione, monasteria illius regionis sub gubernio centrali Ordinis reduceret. A limine nostrae inquisitionis dici potest Drusium finem illum intentum de facto non obtinuisse. Quod aperte testatur C.L. HUGO, *Sacri Ordinis Praemonstratensis Annales*, tom. I, Nancii, 1734, Praefatio: Drusius «multis legationibus perfunctus ad Principes Hispaniae pro resarcienda unione monasteriorum Regni cum capite Ordinis deputatus ab Ordine proficiscitur. Infoelici exitu absolvit negotium, et fama doctissimi viri contentus recessit inde». Postea, in eiusdem *Annalibus*, tom. II, Nancii, 1736, col. 488, HUGO de eadem visitatione scribit: «Ad partes Hispaniarum a Capitulo ... quo Hispani Praemonstratenses ab Generalis obedientia sub arctioris disciplinae praetextu sese subducentes, ad unitatem cum Capite revocaret. Res patrias degens in Hispania gessit optime, oblato Regi supplici libello, in quo Belgii calamitates, et eis adhibenda remedia, tam clare, et tali gratia

⁶) Joannes Masius abbas Parcensis fuit annis 1634-1647. Cfr. N. BACKMUND, *l.c.*, p. 322. Cfr. J. REUSENS, in *Biographie Nationale*, t. XIII, 1894-1895, coll. 135-138; L. GOOVAERTS, *l.c.*, t. I, pp. 551-554; t. IV, pp. 182-184; Q. NOLS, *Jean Maes, abbé du Parc (1636-1647). Sa vie, ses rapports avec les partisans de Jansénius* in *Analectes de l'Ordre de Prémontré*, 1909, t. 5 IV-V (1908-1909); N. WEYNS, in *Biografis Woordenboek*, 1968, dl. 3, art.: *Masius*, coll. 552-556.

⁷) A. HUBER, *l.c.*, p. 487.

exposuit, ut Rex ipse⁸⁾ propria manu libello postillam adjicere non dedignatus fuerit, quo justis Belgarum postulationibus significabat attentum iri. Reversus in patriam, annulum aureum pretiosissimo adamante fulgentem a Rege suo insertum digito, secum asportans Drusius, concivibus obtulit libellum Regis notatum manu. In gratitudinis testimonium Belgii proceres Sanctoribus Statuum consiliis semper exhibere admove-runt nostrum Abbatem».

Mirum aliquomodo videtur in archivo Abbatiae Parcensis practice parum vel nihil inveniri de illa visitatione peracta in Hispania⁹⁾. Habentur quidem litterae nonnullae a Drusio, in itinere constituto, directae alicui personae de sua familia, in quibus notabilia quaedam habentur de illis qui advenerunt in itinere perfecto; nihil vero de decursu ipsius visitationis¹⁰⁾.

In *Chronico* Abbatis Masii, asservato in archivo Abbatiae Parcensis¹¹⁾, pauca haec dicuntur de ipsa visitatione: «1651. (fol. 520). R.D. Praelatus noster profectus est in Hispaniam, deputatus a Capitulo Generali, pro negotiis Ordinis. In ejus comitatu fuit fr. Guilelmus Goossens, cellarius Parcensis, Joannes Rougemont, sororius praedicti Fratris, callens linguam, et Georgius, Meys ac Jacobus Zupernes, famuli. In festo Omnium Sanctorum venerunt Parisiis, inde versus Baionam (Bayonne) contenderunt (f. 521). 13 Decembris, circa horam 12 diei, R.D. Praelatus noster advenit cum suo comitatu in Hispania, statimque visitatus est a Comite de Sors et Marchione de la Genesse. (f. 522). 25 Aprilis 1632 cum suo comitatu egressus est Madritum ad reditum in Belgium».

Paulo fusius de itinere illo narrat Frumentius, Parcensis, in suo *Chronico*¹²⁾. Nihil vero et ipse de visitationis decursu habet. Narrat iste, l.c. (p. 183): «Praeter Brabanticam circariam, mox ei (Drusio) postremo etiam Hispaniensis cura demandata fuit ... In Hispania, quod nostri Ordinis in eo regno religiosi, olim bellorum causa aliquialiter a caetero Capitulo Praemonstratensi divulsi essent, ut eos ad plenam communio-nem reduceret, opere navavit, primum quidem per litteras, tum etiam per praesentiam, cum anno 1631 Capituli Generalis deputatione, eo et ea de

⁸⁾ Philippus IV, rex annis 1621-1665.

⁹⁾ Communicatio archivarii abbatiae Parcensis S. Maes, cui libenter gratias agimus ob inquisitiones hac in re factas.

¹⁰⁾ Archivum Parcense: VII, XLI, Li. 2.

¹¹⁾ Arch. Parcense, VII, 3.

¹²⁾ Cfr. de Frumentio: L. GOOVAERTS, o.c., I, p. 284 s. — Arch. Parc., VII, 21.

causa profectus est. Sed quoniam illi deliberationem extensam vellent, reversus, et paulo post morte oppressus, benecoeptum negotium consummare vetatus est. Pro illius itineris longissimi atque laboriosissimi sumptibus requisitis sponponderant Ordinis Praelati ... (p. 184): In socios autem sibi necessarios ascivit pro sacellano Venerabilem fratrem Guillelmum Gosenium (Goossens), Juris et S.Th. baccalaureum, Cellarium Parchensem; pro interprete Joannem Rosemont, Bruxellensem, ipsius Gosenii Sororium, Hispanici sermonis peritum; pro famulatio Georgio Meys, Monasterii postmodum Receptore, et Jacobum Sypernes; qui ambo pridem ei domestici erant. Bruxellis (bono Angelo in ducem et custodem invocato) egressi, mensis Octobris, die ... (erat autem tunc Rdi D. Drusio anno aetatis 63), in die Omnium Sanctorum Parisios devenerunt, Bayonam inde contenderunt, decimo tertio Decembris demum Madritum ad horam diei duodeciman feliciter appulerunt, ubi protinus (adventu recognito) viri illustres, comes Sarany, Belga, Regiae custodiae praefectus, et Marchio de la Genesse, belgicohispanus, ipsum Rdm Dnum Drusium cum honore et gratulatione salutaturum venerunt, quorum et deinceps multam expertus est humanitatem. Die autem 25 Aprilis anni sequentis discedentes, in Belgium recedere coeperant, quo firma atque inconcussa quam extulerunt valetudine constanti, Deo propitio, perrexerunt».

Tandem L. De PAPE, postea abbas Parcensis, in libro *Summaria Chronologia insignis Ecclesiae Parcensis*, Lovanii, 1662, pp. 424-432, de eodem itinere in Hispaniam agit; de ipsa visitatione parum vel nihil dicendo; sed insistendo in iis quae occasione itineris illius Drusius obtinuit ex parte Regis pro sua patria. Scribit De Pape: «Cumque Praemonstratenses in Hispania degentes ad majorem Ordinis et Capituli sui unionem reducendi judicarentur, nullus in toto Ordine ad assumendum hanc provinciam aptior Drusio nostro repertus fuit, qui licet ob ingravescentem aetatem, sine repraehensione commissionem illam juste recusare potuisset, attamen bonum Ordinis sui toto mentis annisu exoptans, anno aetatis suae sexagesimo tertio iter Hispaniam versus suscepit, et ne ignotus in exteram provinciam deveniret Srma Ardiducissa¹³), in commendationem Drusii nostri ad Hispaniarum Regem Nepotem suum scripsit, et testimoniales magnae illius capacitatis, et zeli pro servitio suae Majestatis... dedit». Tradit deinde De Pape tenorem documenti Drusio dati ab Archiducissa Isabella. Sequuntur

deinde litterae Statuum Brabantiae, quibus rogant Regem Hispaniae ut auxilium ferre velit Statibus quia plura incommoda passi erant ex variis bellis. Additur deinde textus apostillae ab ipse Rege scriptae, in qua declarat Rex se petitionibus a Drusio porrectis libenter annuere. Tandem prosequitur de Pape, *l.c.*, p. 432: «Et Madriti aliquot mensibus Drusius noster degens, Principes aulae magni illius Monarchiae, ejus consilia et instructiones libenter audierunt, et frequenti visitatione eum honorarunt, ac sapientiam et prudentiam ejus coram admirati et venerati sunt, et Regum maximus cum ultimum a Drusio vale acciperet ut in Belgium remearet, annulo aureo e proprio extracto digito, et magni pretii adamante in eo radiante, eum dignatus et veneratus est».

4. In documentis C.L. Hugo, rogantis confratres suos Hispanos ut instructiones necessarias et utiles ad conscriptionem Annalium sibi transmitterentur, revera non pauca de visitatione Drusii referuntur. Proveniunt vero ea quae hac occasione mittuntur ex parte Hispanorum: de Noriega congregaverat illa documenta transmittenda¹⁴). Notum est profecto Hispanos illos infensos esse intento Abbatis visitoris, Drusii. Compendium decursus visitationis ita paucis describitur a HUGO, *l.c.*, t. II, p. 665, ubi agit Hugo de Joseph de Azevedo, abbate in Retorta¹⁵).

¹⁴) St. de Noriega, canonicus Vitis, prof. a. 1700, plura scripsit. Ipse abbati Hugo perplurima communicavit de historia Praemonstratensium Hispanorum cum Hugo rogasset informationes necessarias et utiles ad hoc ut Annales Ordinis conscribere posset. Annotationes illae asservantur in bibliotheca municipali Nancy. Cfr. de Noriega: L. GOOVAERTS, *l.c.*, t. I, pp. 627-629; t. III, p. 162; t. IV, p. 218.

¹⁵) De eo cfr. N. BACKMUND, *Hispania Sacra, l.c.*, p. 435: «Fil. de La Vid. — Ab. Gen.: 1633-1636; Ab. S. Norberto: 1636; La Vid, 1630-1633; Def (nitor): 1627; — Secr. Gen.: 1618. — Iteratis vicibus de Noriega in notis quas transmisit abbati Hugo, agit de abbate de Azevedo. In ms. Nancy 1766 [993], p. 12, haec leguntur, in quibus decursus visitationis Abbatis Drusii clare indicatur. Legimus ibidem: «D. fr. Joseph de Azevedo, Canonicus Vitis, Magister in Theologia, eligitur 29 Aprilis 1633 (abbas generalis seu praeses Congregationis Hispanicae); et in hoc triennio (de Noriega hic non stricte numerum annorum prae oculis habet; nam Drusius jam anno 1631 in Hispaniam advenerat): D. Joannes Drusius, Parcensis Abbas, ex commissione D. Praemonstratensis advenit, Monasteria hujus Congregationis visitaturus, nec leviter praetensa novitas nostrorum pacifica immemoralis in contrarium possessione quietos perturbavit. Sed res penitus infecta ad Parchum reversus est. Nam lite coram Illmo Nuntio et Apostolico Legato, D. Caesare Monti, Patavino Episcopo, contestata et informatione juridice facta, super hoc pro utraque parte Illmus Legatus sententiam pronuntiavit de *non innovando*, die 20 Februarii anni 1632. Antonio Barnachio Auditore, Francisco Gutierrez Zorilla notario secretario. Coram testibus Eugenio Zuozo et Michaele..., Civibus Matritensibus. Et ut jus nostrum firmitus autoritate Apostolica roboraretur, Rmus Bernal Romam Procuratoris causa missus est, die 27a Aprilis ejusdem anni. Litteris commendatitiis Regis catholici ad Em. Cardinalem de Borgia sub dat. 3 Jun. 1632 et ad Marchionem de Castel-Rodrigo sub dat. 11 Septembris 1633, ubi, allegatis juriis utriusque partis, responsum favorable obtinere voluit adversa

«Durante ejus triennio, Joannes Drusius, Parcensis Abbas, Petri Gossetii ac Capituli Generalis auctoritate munitus, Hispaniam, visitandi causa, ac Reformationis demoliendae ergo, adiit. Litem circa Caeferrimonti (id est: Caesare Monti) Patriarcha Antiocheno, et Apostolicae Sedis nuntio, reluctantibus movit Reformatis. Juridice hinc et inde certatum est, et 20 Februarii 1632 manavit a Judice sententia *de non innovando*. Jus acquisitum ut firmius roborarent Hispani Magistrum Philippum Bernal¹⁶) ablegarunt Romam, et sub auspiciis Cardinalis de Borgia, tam feliciter militavit, ut partem adversam a susceptis coegerit desistere. Nihilominus ex adventu Parcensis Praelati in Hispaniam, subortum est schisma circa habitum Ordinis¹⁷); quibusdam stantibus pro Flandrico, aliis inductum a Reformatione asservare volentibus. At anno 1641 discordiam compescuit Urbanus VIII praecipiendo ut tam Abbas Generalis, seu Praesidens, quam caeteri omnes et singuli ejusdem Ordinis dictorum Regnorum Religiosi professi debeant et quilibet eorum debeat reassumere antiquum habitum ipsius Ordinis, id est, tunicam albam cum caputio magno, capiti imponendo; scapulare album, et cappam cum multis plicis similiter albam, supra caputium... Fratris insuper nomen reassumere, et pilio nigro extra Conventum uti, prout solebant, antequam habitus praedicti mutationem facerent».

Fere idem ipsi Hugo ex parte de Noriega communicatum fuit. Uti videmus ex notis huius de Noriega, asservatis in ms. Nancy 1766 (993), f. 132. Legimus ibidem: «D. Fr. Joseph de Azevedo, Canonicus Vitis, Magister in sacra Theologia, eligitur 29 Aprilis 1633 (abbas in Avila). Et in triennio D. Joannes Drusius, Parcensis Abbas, ex commissione D. Praemonstratensis advenit, Monasteria hujus Congregationis visitaturus, nec leviter praetensa novitas nostrorum pacifica immemoralis in contrarium possessione quietos perturbavit. Sed re penitus infecta ad Parchum profectus est. Nam lite coram Illmo Nuntio et Apostolico Legato, D. Cyreno Monti, Patavino Episcopo, contestata et informatione juridice facta, super hoc pro utraque parte Illmus Legatus sententiam pronuntiavit, *de non innovando*; die 20 Februarii 1632... Et ut jus nostrum firmius auctoritate Apostolica roboraretur, Rmus P. Bernal¹⁸) Roman Procuratoris causa missus est die 27 Aprilis ejusdem anni. Litteris

pars...». Decisio pontificia thesim Hispanorum approbens et confirmans postea indicabitur. Idem, sed brevius, legitur apud HUGO, *l.c.*, t. II, col. 665 s.

¹⁶) Cfr. n. 3.

¹⁷) Cfr. n. 3.

¹⁸) Cfr. nota 3.

commendatoriis Regis catholici ad Em. Cardinalem de Borgia sub dat. 3 Junii 1632 et ad Marchionem de Castel-Rodrigo, sub data 11 Septembris 1633, ubi, allegatis juribus utriusque partis, responsum favorable obtinere valuit adversa pars». Pergit eadem relatio: «Hocce eodem triennio, occasione desumpta ex adventu Abbatis Drusii, subreptitiis litteris Apostolicis adventus industria aliquorum ex nostris, non parum disceptatio est habitus, quo ab hujus Congregationis Praemonstratensibus cum summo honore et veneratione, habitui observantiae Congregationis Antiqui Rigoris in Lotharingia simillimus... Acceperunt ergo eorum habitum ad instar Abbatis praefati Parcensis. Non advertentes vel in ipso loco vel ipsam novitatem per Capitulum Praemonstratense anni 1630 renovatam¹⁹⁾, de quibus videatur Pagius, lib. Bibliothecae, pag. 806²⁰⁾; sed paucis annis duravit hujusmodi novitas; a S. Pontifice fel.mem.Urbanum 8 repulsa est Bulla quae incipit: *Pastoralis officii*, sub dat. 19 Augusti 1641, per quam praecipitur: «Quod tam ipse Abbas Generalis seu Praesidens, quam caeteri omnes, et quidem omnes Ordinis dictorum Regnorum (Hispaniae) religiosi professi debeant, et quilibet eorum debeat reassumere antiquum habitum ipsius Ordinis, id est *tunicam* albam cum *caputio* magno capiti imponendo, scapulare regulariter album, et cappam cum multis plicis similiter albam super caputium; *fratris* insuper cognomen reassumere, et *pileo nigro* extra conventum uti, quod solebant facere».

5. Drusius, debitis instrumentis canonicis ex parte Domini Praemonstratensis in Hispania adveniens, videtur apud nonnullos confratres Hispanis bene fuisse exceptus. Et quaedam positiva obtinuisse ad hoc ut illi confratres rationem vivendi Praemonstratensium aliarum regionum, juxta Statuta recenter a. 1630 ab Ordine promulgata, susciperent. In specie quod attinet ad vestitum assumendum. Mox vero plures alii sese ipsi opposuerunt. Antesignanus horum erat Philippus Bernal²¹⁾. Iste tunc Romae degens, qua procurator suae Congregationis apud

¹⁹⁾ Quod in hoc Capitulo de vestitu Ordinis statutum est indicatur in *Statutis*, anno 1630 evulgatis: Dist. II, cap. XIX, cap. De Vestitu.

²⁰⁾ J. LEPAIGE, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, Parisiis, 1633, variis in locis agit de vestitu Ordinis. In lib. I, cap. VIII, pp. 217-221, in genere tractatur: De candido Praemonstratensium habitu et forma ejusdem; postea, p. 806, refertur cap. XIII, De Vestitu Statutorum Ordinis anni 1505.

²¹⁾ De Bernal, cfr. supra, n. 3. — De facto, plures procuratores Praemonstratenses aderant pro uno alterove negotio Ordinis tractando vel defendendo. Cfr. L. VAN DIJCK, *L'affaire Raguet et le gouvernement central de l'ordre de Prémontré au XVII^e siècle* in *Anal. Praem.*, 1974, t. L, pp. 183-200; 1975, t. LI, pp. 37-71.

Sanctam Sedem, rediit absque mora ad patriam suam. Statimque Nuntium Apostolicum Monti adiens, apud istum ea obtinuit quae intendebat: Hispani Praemonstratenses tuto retinere poterunt ea quae apud eos in Congregatione introducta erant, quoad usus proprios. Ita ea quae obtinere intendebat Drusius rejecta erant. Quod hac ratione exponitur a de Noriega, in notis ab eo missis ad C.L. Hugo (ms. Nancy 1766 (993), f. 198 b: «Mirum est quot labores et pertulerit (Bernal) et sponte susceperit, tum pro vindicanda Congregatione nostra a praetensa per Rvmum D. Praemonstratensem obedientia, cum maxime pro exterminanda in figura habitus nostri introducta..., quam, qui vel sola speciositate quadam allecti, veneranda sponte antiquitate in Gallis et Belgarum partibus, aliisque Regionibus [praeter ... aemulandam Lotharingiam] anno 1630 libenter acceperant. In Reformatam Congregationem nostram Hispanicam invadere, quin et suadente Parcensi Abbate D. Drusio, sese introducere veriti non sunt. Alius autem Magister iste Philippus Bernal, qui Romae pro tempore Procuratoris Generalis nostrae Congregationis debebat, eo missus vim Parcensis praestolaturus [quod et feliciter obtinuit] in Hispaniam reversus, novitati hujusmodi inventae palam se opponens., et variis disputationibus et Memorialibus pluribus eruditis in lucem editis, multos ab opinione deterruit, et tandem per foel. rec. Urbanum 8 anno 1641 iterum profectus, factum fecit revocari». Ex hac relatione istius Hispani, constat etiam in Hispania vixisse Religiosos Praemonstratenses qui nullo modo infensi erant conatibus impensis a Drusio ad hoc ut unitatem in ratione vivendi omnium Praemonstratensium obtinere valeret.

6. Relatio satis protracta visitationis Abbatis Drusii habetur in foliis coadunatis a canonico abbatae Praemonstratensis, du Crocq, qui plurimorum Capitulorum Generalium fuit secretarius; et Roman adivit qua procurator Ordinis apud Curiam Romanam²²⁾. Asservatur haec relatio in ms. Laon 538, t. II, pp. 546-591. Ex ista relatione patet processum ex parte Domini Praemonstratensis Romae introductum esse contra modum agendi Hispanorum in visitatione canonica Drusii. du Crocq dicit documenta hujus processus «hispanico idiomate» tunc asservari in

²²⁾ Gr. du Crocq floruit medio saeculo decimo septimo. Secretarius fuit plurimum Capitulorum Generalium; ac scriptor ms. 538 Laon, in quo continentur Acta plurimorum Capitulorum Generalium. Romam missus est ut defenderet causam Praemonstratensem contra electum Raguet et contra Hispanos Ordinis. Cfr. L. GOOVAERTS, *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, t. I, 1899, Bruxellis, p. 211. Cfr. de eodem du Crocq, L. VAN DIJCK, *l.c.*, n. 21. — Postea in hac nostra expositione iterum de ipso sermo erit.

Collegio Sancti Norberti Romae. du Crocq istam relationem sermone latino tradit. Sub hac inscriptione: «Sequitur litigium inter Capitulum Generale Ordinis Praemonstratensis ex una, et Provinciam Hispanicam ex altera partibus anno 1631 et seqq.». Varia documenta in hac relatione habentur; latine de verbo ad verbum relata.

Nomine Abbatis Drusii [qui in documentis illis dicitur Abbate del Parque], Didacus de Gamirondo causam introducit contra Vicarium Generalem Hispaniae et religiosos alios sic dictae Congregationis Hispanicae. Abbas Drusius, ita exponit, Hispaniam adivit, ad hoc mandatus a Domino Praemonstratensi. Drusius in illa visitatione «ingesit se volendo visitare hujusmodi Ordinem, et incoepit in Conventu Sancti Norberti praesentis oppidi²³), sibi praestandam esse obedientiam». Addit vero iste Hispanus quoad rationem agendi Drusii: «nullo exhibito nec ostenso titulo, neque dicto Patre Generali²⁴), nec Principali praemonito seu certiore facto. Et quia Controversia quae in praemissis et circa ea pendet vel oriri potest, est super Jurisdictione, cujus Jus assistit Principali nec tamquam Principali meo tamquam Generali, idcirco a Dominatione vestra ... peto et supplico tamquam ab utriusque Iudice superiore quod quaelibet partium ostenderit et dederit suos titulos, Jura et praetensiones ad effectum, ut Dominatio Vestra Illustrissima determinet in praedicto puncto Jurisdictionem, dignetur ordinare dicto asserto Visitatori quod supersederit in procedimentis, seu hactenus actitatis, sistatque in procedendo et ad ulteriora transeundo, et suspendat censuras quas fulminaverat, et doceat de suis titulis, concederetque terminum competentem Principali meo ad praesens ab hac Curia absenti ad effectum ut doceat de Juribus suis, petoque Justitiam et expensas».

Documenta illa exhibita fuerunt Nuntio Apostolico. Rogaturque iste Nuntius «quatenus dignetur ordinare quod minime retardetur neque perturbetur possessio in qua existit. Additurque: «eo maxime quod praestita fuit obedientia in Conventu Sti Norberti in publico Capitulo ad sonum campanae pulsatae».

Testantur deinde Notarii publici sibi exhibita esse varia documenta necessaria et utilia ex parte Abbatis Visitoris. In specie: «Primo exhibetur copia Commissionis dicti Abbatis Visitoris, signatae manu

²³) Abbatia S. Norberti Matritensis fundata est a. 1608. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. III, Straubing, 1956, pp. 272-274.

²⁴) Stricto sensu Dominus Praemonstratensis generalis erat in toto Ordine. Hispani vero suum Provincialem qui juxta jus generale Ordinis erat Vicarius Generalis-non raro suum «Generalem» dicebant. Singulis trienniis alius talis «Generalis» eligebatur.

ipsius Reverendissimi Praemonstratensis totius Ordinis Generalis et Secretarii Capituli Generalis ... 2. Exhibentur acta possessionis acceptae in monasterio Sti Norberti in hoc oppido Matriti.... Exhibetur Instrumentum agnitionis Visitationis dicti Abbatis et Conventus Segobiensis. 4. Exhibetur extractum desumptum ex Constitutionibus hujus Provincialis [Hispanicae] factum auctoritate Summi Pontificis quo ostenditur quod haec Provincia Reverendissimum Generalem habere debeat pro suo Capite, et se ei reverentiam et obedientiam deferre teneatur, et quod Provincialis²⁵) confirmationem a Generali petere oporteat. 5. Exhibentur duo alia extracta quibus ostenditur potestatem, Jurisdictionem hujus Provincialis plane cessare (quod subjectionis evidentissimum et indubitabile argumentum) praesente in his Regnis Reverendissimo Praemonstratensi totius Ordinis Generali. 6. Exhibetur Extractum ex quo patet quod haec Provincia per quam institutionem obligatur singulis saltem triennis mittere unum Abbatem suo nomine et sumptibus ad Capitulum Generale, quod inquit celebratur in Gallia; ex quo patet hanc Provinciam Jurisdictioni Capituli Generalis esse subjectam clare evincitur. 7. Exhibentur tria Extracta quibus ostenditur Capitulum Generale distinctam a Reverendissimo Praemonstratensi habere Jurisdictionem. 1° quod ipse Generalis promittere debeat Capitulo Generali obedientiam; 2° quod habeat proprios suos Visitatores. 3° quod illi debeant Capitulo Generali Actorum suorum reddere rationem; 4° quod eorum Visitationem non solummodo Provinciarum Provinciales sive Vicarii admittere debeant, sed etiam Reverendissimus Generalis totius Ordinis, ac proinde etiam hujus Provinciae [Hispanicae] Provincialis, qui non majorem habet exemptionem, quam ipse Reverendissimus Generalis in totum Ordinem; additur juxta Instituta Ordinis, quae habent visitationem Visitorum Capituli Generalis admittere debeat; 8. Exhibetur copia litterarum Patrum hujus Provinciae, quae sunt ab ipso Provinciali, tum a coeteris Patribus propriis suis nominibus signatae, ut ostendatur per Pontificiam reformationem hanc Provinciam (Hispanicam) ab Ordinis Jurisdictione non esse exemptam, cum decennio post introductam Reformationem agnoverint et superioritatem; obedientiam per suum Nuntium, hujus Provinciae Religiosum, fratrem Hieronymum de Villaluenga²⁶), Capituli

²⁵) Provincialis, seu, iuxta jus Praemonstratense, Vicarius Generalis. In Hispania triennis erat.

²⁶) H. de Villaluenga fuit abbas in Medina: 1594-1597; procurator Circariae Hispaniae in Prémontré: 1580-1582; procurator Domini Praemonstratensis Romae 1582. —

Provincialis secretarium praestiterint, unde clarum est quod cum Reverendissimus Praemonstratensis quam Capitulum Generale decennio post introductam Reformationem in plena fuerit jurisdictionis suae possessione».

Alia nonnulla brevius vel fusius ex iisdem documentis referimus. Prae oculis habendo documenta illa in quantum manifestant momentis referimus. Prae oculis habendo documenta illa in quantum manifestant momentum juridicum rectum modi agendi Domini Praemonstratensis et Capituli Generalis totius Ordinis.

7. Primum documentum citatum a du Crocq est commissio a Domino Praemonstratensi et Capitulo Generali dato Abbati Drusio relate ad visitationem canonicam ab isto Abbate perficiendam.

«Petrus Gossetius, Dei et Sanctae Sedis Apostolicae gratia Praemonstrati Abbas²⁷⁾, Domini Regis Christianissimi Consiliarius et Eleemosynarius totiusque Canonici Ordinis Praemonstratensis Caput et Reformator generalis, nec non Abbatum et Diffinitorum Ordinis ejusdem Capitulum Generale Reverendo Patri Domino Joanni Drusio, sacrae Theologiae Licentiato, monasterii Parcensis a praedicto Ordine dependentis Abbati, Confratri nostro Carissimo, Salutem in Domino.

Providentiae nostrae oculum in singulas Nobis dispositione divina commissas Ecclesias sollicite intendentes, eas quibus pastoralis nostri debiti officii debitum personaliter impendere non possumus, per viros idoneos Juris et Regularis disciplinae zelatores procurare, et in sinceræ pietatis cultu fovere satagimus. Unde fit quod de Tuæ Religionis secundum solertiam zelo, prudentia, integritate, rerum experientia plurimum in Domino fiduciam habentes, Te in tota Hispaniarum Circaria seu Provincia Vicarium nostrum Generalem ejusdemque Capitularem visitationem qua pollemus autoritate fecerimus et ordinaverimus, prout facimus et ordinamus per praesentes. Dantes et concedentes Tibi plenam, liberam et absolutam potestatem et mandatum speciale omnes et singulas illius Circariae Ecclesias, Abbatias, Prioratus, Monasteria, Collegia et loca quaecumque Nobis et Ordini praedicto subjecta, eorumque Provisores et Officiales, quam Canonicos, laicos, donatos, aliasque et

Secretarius suae Provinciae, anno 1581, cum Abbate generali Despruets egit de unionem Hispanorum cum aliis Praemonstratensibus. Deinde Romam adiit ubi canonizationem Sancti Norberti valide promovit. Cfr. E. VALVEKENS, *l.c.*, p. 20-33; et *La «Canonisation» de Saint Norbert en 1582* in *Anal. Praem.*, 1934, t. X, pp. 32-34.

²⁷⁾ Petrus Gossetius fuit Dominus Praemonstratensis annis 1613-1635.

cujuscumque conditionis et gradus personas Ordinem nostrum inibi profitentes, et in qua Jurisdictione quibus Jure ac titulo dignoscimur obtinere, assumpto tamen ex illis aliquo Praelato vel Instituti nostri zelatore Canonico (quem et inquantum volueris) canonice secundum formam Juris et Ordinis, toties quoties opus fuerit, in Capite pariter et in membris visitandi et reformandi, ac in earundem personarum vitam, mores, ritus et consuetudines, tam conjunctim quam divisim diligenter inquirendi, delinquentes, discolos et suae professionis praevaricatores repertos pro ratione culparum puniendi, et Regulari distractione puniendi, et Regulari distractione coercendi, Superiores et Officiales quoslibet negligentes, inutiles et scandalosos suis respective dignitatibus, administrationibus et officiis amovendi aliosque idoneos in eorum locum providendi aut provideri via et forma congruis faciendi, provisosque confirmandi, quaecumque mutatione, correctione, emendatione, renovatione, ac etiam de integro editione indigere cognoveris, ex sacris Canonibus et oecumenicis Conciliorum inhaerendo mutandi, corrigendi, emendandi, renovandi, revocandi et de novo condendi et condita observari mandandi, abusus quosvis inhibendi, totamque ipsam Circariam ejusque omnes et singulas Ecclesias, Religiosos, personas nostri praedicti Ordinis ad Regularem observantiam et obedientiam, debitum honestumque ac cum Capite et Matrice Ecclesia uniformem modum et divinorum officiorum celebrationem reducendi. Contradictores quoslibet et rebelles Ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis Canonice aliisque Juris et facti opportunis remediis, etiam invocato brachii saecularis auxilio compellendi. Capitulum Provinciale indicendi, eidem vice, nomine et autoritate nostra praesidendi, ipsius quoque Acta et Diffinitiones confirmandi. Procuracionis tuae visitationis hujusmodi et ad praesentium executionem necessarias expensas, sicut et ordinarias contributiones Vobis et Ordini debitas, requirendi, levandi, et ad illarum solutionem eos quorum intererit, cogendi, et de receptis quitantiam dandi. Denique in dicta tota Circaria personam nostram repraesentandi, et generaliter omnia faciendi et ordinandi, gerendi, dicendi et exequendi quae nosipsi de nostra plenitudine potestatis, facere, ordinare, gerere et exequi possemus, si praesentes personaliter ibidem adessemus, etiamsi majora expressa fuerint et talia quae mandatum exigant speciale praesentibus usque ad nostrum proxime futurum Capitulum Generale valituris, et Jure per nos reservato alium tunc et interim tunc et interim certa positiva existente causa cum talia aut alia nobis benevisa fuerint loco tui substituendi. Quocirca omnibus et singulis

praedictis praedictae Circariae Dominis Praelatis, Abbatibus, Prioribus, Rectoribus et singulis praedictis personis Nobis in eadem subjectis, in virtute sanctae obedientiae et sub excommunicationis poena, quam in omnes et singulos inobedientes, nunc et prout tunc..., fecimus in his scripturis, districte praecipiendo mandamus et Tibi tamquam Nobis prompte pareant, et obediant, tuaque salubria mandata et praecepta notifiacias ac nostra similiter suscipiant et efficaciter adimplere procurent, promittentes bona fide nos ratum gratumque habere quicquid per te in praemissis nomine nostro et pro nobis dictum, gestumque fuerit et executum. Regi autem Hispaniarum catholico Philippo quarto²⁸⁾ optimo maximo, cui foelices prosperosque Regnorum quorum successum a Deo precamur, humiliter supplicantes, quatenus Tibi pro Religionis et defensionis praesidio et a Ministris manus porrigi faciat adiutrices...»

Documentum istud conscriptum dicitur sedente Capituli Generali anno 1630.

8. Exponitur deinde a du Crocq quomodo Abbas Visitor in Hispania advenerit, die 30 Decembris anni 1631; et quidem in Conventu suorum confratrum Sancti Norberti Matriti. Coram Abbate loci, Fr. Real²⁹⁾, assistente Vicario Generali Circariae, Antonio della Torre³⁰⁾, Priore ac Supprie monasterii, cum aliis monasterii quorum nomina indicantur, ostendit Visitor litteras commissae sibi visitationis. Ipsi, secundum instructionem harum litterarum, adjungitur Visitor conjunc-

²⁸⁾ Philippus IV: cfr. n. 8.

²⁹⁾ Fr. Real abbas triennalis in Avila: 1624-1627; in Huertos: 1627-1630; in S. Norberto Matritensi: 1630-1633, Cfr. N. BACKMUND, *Hispania Sacra*, l.c., p. 466.

³⁰⁾ Antonius della Torre, obiit 3 Januarii 1654; fuit Abbas Generalis (Hispaniae: 1639-1642; Abbas S. Joachim Matritensis: 1642-1645; S. Norberti Matritensis: 1639-1642. Cfr. N. BACKMUND, *Hispania Sacra*, l.c., p. 473. Cfr. L. GOOVAERTS, o.c., t. II, p. 250; t. IV, p. 339. Scripsit *Summarium Historiae Praemonstratensis*, ms.; *Introduccion de la oracion mental*, impressum a. 1625. De eo legimus in *Nomina et Ordo eorum omnium Alumnorum, et aliorum Ordinis Praemonstratensis Canonorum qui habitarunt in hoc Collegio Romano*, ms. in archivo Abbatiae Tongerloensis, ad a. 1630: «Anno 1630. R.D. ac fr. Fredericus Ramiro Velasques, Hispanus convictor. Fuit apud nos 9. Mensibus, agens Romae pro unione Ordinis. Erat vir doctus et gravis... Rediit revocatus ab Abbate Drusio, ut sibi esset auxilio in reformatione introducenda in Hispaniam, licet nihil ibidem peragi potuerit propter inhibitionem Nuntii. Debet adhuc Collegio juxta chirographum suum quod habemus pro expensis victus et mutuo viatico accepta scuta 80. monetae, quae quando habebimus Deus scit, licet Antonius della Torre, Vicarius Generalis Ordinis Circariae Hispaniae per litteras suas promiserit procurare solutionem, uti etiam aliqui alii Madriti habitantes. Donavit discedens horologium insigne, quod aliquando fuerat Regis Philippi 4., ut aiebat. (postea additum: nunc satisfecit remittens nobis 50. scuta; reliquum dedit solum per horologium quod reliquit Collegio)».

tus, Antonius della Torre³¹). In secretarium visitatoris constituitur Joannes Pacheco, qui tunc locum spectabilem occupabat apud confratres suos. His confratribus modo citatis, iterum Drusius fuse exponit fundamentum et rationem suae missionis visitatoriae.

Die sequenti Drusius adivit curiam regiam. In qua iterum rationem suae missionis exponit. Hac occasione, haec dicit Drusius de auctoritate Provincialis provinciae Hispaniae, suo adjuncto visitatore coram curia regia: «Praefatus magister frater Antonius de la Torre, Vicarius Generalis hujus Provinciae, intellecta dicta requisitione dixit quod obedivit sibi injunctis et ordinatis respectu eorum quae quae obligationem suam tangunt, et quia pater Generalis abest ab hoc regno Castellae non habet jurisdictionem quam quando Pater Generalis abest, et quod nunc praesens est; quapropter nullam habet jurisdictionem ut possit cogere et compellere Patres Abbates ad ipsi praestandam obedientiam quam de jure tenentur ipsi praestare; caeterum quod illis significavit suam paternitatem advenisse cum autoritate Generalissimi Abbatis Praemonstratensis, Superioris hujus et reliquarum Provinciarum totius praedicti Ordinis: *quia licet hic intitulet se Generalem, eo cum tamen potestas non est* minor potestate Provincialium, sicuti in multis partibus et Capitulis Constitutionis particularis hujus Provinciae constat, in quibus quotiescumque tractatur de potestate Provincialis, fit reservatio Superioris hujus Provinciae, dicti Provincialis vel Generalis, et proinde quoad illud quod ipsum tangit, defert, praestatque obedientiam praefato Patri fratri Joanni Drusio, Vicario et Visitatori generali hujus et caeterarum Provinciarum Belgii³²), estque promptus illi obtemperare his omnibus quae ab eo habuerit in mandatis, et illud subscripsit, testibus [sequuntur in ms. nomina testium]».

Ea quae modo relata sunt, iterum describuntur ad ipso Drusio, ab Antonio della Torre, ac ab Joanne Pacheco, socio Provincialis de la Torre.

Drusius, his expletis, concludit: «Tenore praesentium, praecipimus et mandamus in virtute sanctae obedientiae et sub poena excommunicationis majoris, trina mentione de Jure praemissa latae sententiae Reverendo fratri Francisco del Real³³), Abbati monasterii patris nostri Sancti Norberti praesentis oppidi Matrithi..., omnibus et singulis Religiosis

³¹) Cfr. nota 30.

³²) Drusius Vicarius Generalis erat Circariorum Brabantiae et Frisiae.

³³) Cfr. n. 24.

praedicti Conventus, quatenus postquam requisiti fuerint vigore praesentium, vel postquam de illis certiores reddituri quoquo modo fuerint, obedientiam nobis praestent ad effectum ut cum maiore quiete, pace, secreto... fiat supradicta visitatio. Datum in oppido Matriti, die 28a mensis Decembris anni 1631». Eadem die, Pacheco, secretarius visitatoris Drusii constitutus, notificat ea quae Drusius facere intendebat. In specie hoc facit «patri magistro Thoma de Avellaneda, Concionatori generali nostri Ordinis³⁴⁾, et Ambr. de Auxen, qui responderunt quod sibi notificarentur litterae Capituli Generalis et Generalissimi Ordinis nostri atque Commissio, et illis visis dictisque responderunt quod obediebant mandato et litteris, praestabantque obedientiam, et recognoscebant Superiores suos, de quo Ego dictus Secretarius (Pacheco) fidem facio, et subscripserunt».

Die sequenti, alii confratres monasterii S. Norberti certiores fiunt de missione visitatoria Abbatis Drusii. Et documentis inspectis, et ii confratres se huic ordinationi se obedire velle dixerunt atque subscripserunt. Antonius de la Torre, ex sua parte, his factis, confratres suos monet de visitatione instituenda ab Abbate Drusio.

Die sequenti, 31a Decembris, de missione Abbatis Drusii informatur Didacus de Tapia³⁵⁾ et alii religiosi monasterii. Quamvis hi scirent jam

³⁴⁾ Th. de Avellaneda, obiit 20 decembris 1672. Fuit Abbas in Avila: 1652-1654; in Huertos: 1659-1562; La Vid: 1632-1639. Cfr. N. BACKMUND, in *Hispaniae Sacra, l.c.*, p. 435. Dicitur hic: Concionator Generalis. De facto, in abbatibus Congregationis Hispanicae, in singulis canonibus varii erant religiosi qui munere «praedicatoris» in ecclesia abbatali fungebantur. Distinguebatur inter Praedicatores generales perpetuos (duo) et triennales quatuor». Ita N. BACKMUND, *Monasticon Praemonstratense*, t. III, p. 225. — Cfr. de de Avellanada: L. GOOVAERTS, *o.c.*, I, 26; IV, p. 15. C.L. HUGO, *Sacri Ordinis Praemonstratensis Annales*, t. II, col. 1138; «Thomas de Avellanada, S. T.D., rerum divinarum vindicem copiosissimum paratum praelo reliquit». — Scribit de eo St. De Noriega, ms. Nancy 1766 [993], p. 55 b: «Nobilissima stirpe oriundus, in sac. Theologia doctor laureatus, vir observantissimus, omnigena litterarum eruditione satis instructus. Ut ejus testantur manuscripta, quae constant quinque volumina Alphabetico ordine conjuncta, rerum dicendarum in omni materia notabilium copia, sive indicem copiosissimum complectentia. Eruditissimum sane opus, quod, dum proelo paravit, invidia praepropera morte, tantus Magister majori ex parte incompletum reliquit... Anno 1642, hoc triennio extraordinariae Reformationis visitationi constanter restitit, januas monasterii advenienti clausit, putans sic suam ex praescripto continuam jurisdictionem vulneratum iri, distributionibus in capitulo intermedio per Definidores factis se opposuit, quia abs dubio tot adversis stimulatus in aliquo juris metas excessit, in sequenti Capitulo Generali voce activa et passiva pro tunc privatus est. Haec autem omnia aequanimiter tulit. Bibliothecam S. Norberti Matritensis insigniter auxit. Nobilissimis item scalis insigne dormitorium extruit».

³⁵⁾ De Tapia fuit abbas in Avila: 1639-1642; in Villamayor de Trevina: 1630-1633; secretarius Generalis: 1633-1637 (hoc anno moritur). Cfr. N. BACKMUND, in *Hispaniae Sacra, l.c.*, p. 472.

alium Hispanum in ipsa Provincia constitutum esse visitatorem canonicum Provinciae, auditis et intellectis datis litteris et contentis in his litteris, omnes insimul tamquam filii obedientiae et videntes justificationem illarum litterarum et quantopere tendant ad Dei cultum, bonum et incrementum sacrae illius Religionis, quod illarum tenor executioni demandetur, dixerunt quod consentiebant quod praefati Patres Visitatores (Drusius; de la Torre, adjunctus Drusii) utantur sua commissione sicuti in illa continetur, et quod sunt prompti et parati obedire et satisfacere in omnibus et per omnia ordinationibus et mandatis; dictus pater magister frater Augustinus Gonzalez³⁶⁾ [visitor ab Hispanis pro hac Provincia designatus] tamquam Abbas et ordinarius in ista domo offert praestare auxilium necessarium quousque dicta Commissio debitum et optatum sortiatur effectum; et istud pro responso dederunt, de quo fidem facio».

9. In documentorum serie a du Crocq simul juncta, indicantur ea quae in Constitutionibus separatis Provinciae Hispaniae dicuntur de habitudine religiosorum Hispaniae ad Dominum Praemonstratensem et Capitulum Generale Ordinis universi³⁷⁾. In quibus Constitutionibus praescribitur ut inter Abbates singulorum monasteriorum «unum ex ipsis, non alium, eligant, ac ut omnis Provincialis ab Abbate Generali, confirmatus, Capitulum Provinciale singulis annis absente praedicto Abbate Generali, convocare ac cum interessentibus illud celebrare licite possit, facultas conceditur; necnon Canonicos voce activa et passiva et aliis legitimis actibus ad tempus seu in perpetuum eorum exigentibus demeritis [privare?]¹. Alia ordinatio legitur in ejusdem Constitutionibus, dist. 2a, cap. 50^o, n^o 196, in quo praescribitur Patrem Provinciale Congregationis Hispanicae curam gerere debere omnium monasteriorum Provinciae, «et eam Jurisdictionem conventuum juxta institutionem Ordinis habeat quam Pater Generalis in toto Ordine habet, dummodo ipse Generalis in his Regnis praesens non fuerit; tunc enim eam tantum

³⁶⁾ Gonzalez Augustinus fuit abbas in Aguilar (1651-1654); in Huertos (1630-1633). Cfr. N. BACKMUND, *l.c.*, p. 449.

³⁷⁾ Ipse du Crocq transscripsit in ms. Laon 538, 441-546, Constitutiones Ordinis Praemonstratensis Provinciae Hispaniae, typis excussas anno 1580, Methinae, seu in Medina del Campo. — In illa transcriptione haec, inter alia, legimus: «Justum est ut Generalis Abbas Praemonstratensis ab omnibus subditis Superior recognoscatur, illique debita obedientia et reverentia exhibeatur» (*l.c.*, p. 455). Postea, ubi agitur de decursu Capituli Provincialis Hispaniae, additur explicite: «Praeterea eligant unum Abbatem qui eat ad Capitulum Generale quod in Gallia celebratur, si illuc patebit accessus, saltem semel in triennio, nomine totius hujus Provinciae ejusque expensis, et cum mandato Capituli Provincialis» (p. 458).

habeat quam Generalis dum hic fuerit et consenserit». Alibi (dist. la, cap. 1º, nº 61º) dicitur: «Praeterea eligant unum in Abbatem qui ad Capitulum Generale quod in Gallia celebratur... saltem semel in triennio nomine totius hujus Provinciae, ejusdemque expensis et cum mandato Capituli Provincialis».

Indicantur deinde puncta statuta in Statutis Ordinis universi, renovatis anno 1630. In quibus sermo fit de visitationibus instituendis nomine Capituli Generalis. Juxta hanc ordinationem Statutorum, Abbati Drusio commissa est nunc visitatio canonica perficienda in Hispania, servatis ad amussim iis quae de hac materia statutum est. Statuta ista profecto in Hispania nota erant. Et quia in Constitutionibus propriae Provinciae Hispanicae, agnoscitur superioritas Reverendissimi Domini Praemonstratensis ac Capituli Generalis, etiam ab eis servanda esse omnino videtur.

10. Incoepa autem vix ipsa visitatione, quidam ex Praemonstratensibus Hispanicis sese visitationi opponebant. Non omnes et singuli quidem. Uti aperte sequitur e documento allato a du Crocq. Fuse in hoc documento ostenditur Abbatem Drusium in omnibus se conformare principiis juridicis vigentibus in Ordine, et codificatis in Statutis. In hoc documento haec, inter alia, leguntur: «In oppido Madriti, die 17 mensis Januarii 1632 coram me scribe et testibus comparuit personaliter magister frater Antonius de la Torre (co-visitor Drusii), Vicarius Generalis Ordinis Praemonstratensis, in Hispania, residens in Conventu Sancti Norberti praesentis oppidi Ordinis supradicti et dixit quoniam ipse insimul cum patre magistro Joanne Drusio, Abbate Monasterii Parcensis in provinciis Belgii Ordinis praedicti constituit Joannem de la Gracia de Calanda et Didacum de Gamirondo Procuratorem in tribunali Illustrissimi Domini Nuntii Apostolici in hac Curia ad effectum et nomine suo prosequerentur lites et causae quas dictus Abbas Parcensis sustinet contra Religiosos praedicti Ordinis horum Hispaniae Regnorum occasione visitationis quam in illis facere praetendit. Prout latius continetur et declaratur in mandato Procurationis desuper expedito ad quod se refert quod rogatus fuit per Acta Joannis de Alaix de Pedrosa Scribae Regii sub die 5 mensis et anni currentium. Modo vero ex causis animum suum ad id moventibus, dictum mandatum Procurationis quod sic ut praemittitur pro pace quam dedit supra nominatis ad litem et causam praedictam et causis et rationibus jam dictis ad hoc ut alterius non prosequeretur litem et causam hujusmodi, illos relinquendo prout reliquit in suis bonis, tenore et fama. Et similiter revocat dictum mandatum

procurationis et alia quae dederit ad superius expressa, quae minus vult, et quod illis uti non possint, et resilit ab illorum concessionibus, nec non a praedicta lite et causa ac praetensa quam ad illam habebat, illaque omnia nec non gesta et actitata in hanc usque habet pro nullis, cassis, annulatis, et vult quod nequaquam valeat, nec fidem faciant in iudicio neque extra illud, proinde ac si facta et concessa fuissent... Similiter dixit quoniam dictus frater Abbas Parcensis eum nominavit in suum Adjunctum pro dicta visitatione quam praetendebat; ipse vero nominationem illam acceptavit, ex nunc renuntiat dicto muneri, illo non utetur; et si illo usus fuerit, minime valeat quod fecerit nec audiat nec in iudicio nec extra illud, et refundat in expensas et damna, quae idcirco generabuntur praedictae religioni; et obligat se quod praedicta omnia adimplebit, et contra illa non futura neque redditura in forma... Illud subscripsit f. Antonius de la Torre³⁸).

11. Abbas Drusius vero ex sua parte defendit se contra illos qui finem imponere intendebant visitationi ab ipso inchoepae. Scribit secretarius Abbatis Drusii: «Illustrissime Domine. Ego, Didacus de Gamirondo³⁹), nomine patris Joannis Drusii, Parcensis, in lite et causa contra Ordinem Praemonstratensem dico quod Principalis meus [i.e.: Abbas Drusius] exhibuit titulos originales caeteraque Jura quae habet pro visitanda praedicta Religione, et Adversarii illa videant; quo attento, et quia in Actis causae extat copia dictorum Instrumentorum, supplico per Dominationem vestram Illustrissimam mandari, determinari scripta pro parte mei Principalis petita, mandando quod restituantur ipsi dicti tituli. Iustitiamque postulo».

12. Interim Prior et religiosi monasterii S. Norberti Matritensis, apud quos Visitor antea bene receptus fuerat, confitentur se in hoc negotio considerare deceptos; asserunt quoque se non amplius considerare Abbatem Drusium uti Visitatorem canonice missum et delegatum. Scribunt enim et attestantur: «In oppido Matriti die 27 mensis 1632 facta illius exhibitione Dominatio sua Illustrissima mandavit quod infra proximam audientiam Procurator ex adverso reportet processum... Reverendus pater noster prior frater Augustinus de Santiago, hujus monasterii Sancti Norberti oppidi Matriti, caeterique Religiosi qui hic subscribimus nostris nominibus, didicimus quod diebus elapsis pater

³⁸) Cfr. supra, n. 30.

³⁹) Drusius in secretarium suum assumpserat Hispanum de Gamirondo.

Abbas hujus Conventus⁴⁰⁾ et pater magister fr. Antonius de la Torre⁴¹⁾ adduxerunt patrem Abbatem Parcensem, dicendo quod veniebat tamquam visitator monasteriorum Hispaniae. Et quod idcirco secum ferebat valde sufficientes scripturas et Jura; de quibus illis omnibus constabat, et quia illa viderant; et sic illum admiserunt receperuntque ipsi praestando obedientiam. Nobis vero ordinaverunt atque persuaserunt quod idem faceremus, legendo propterea censuras et excommunicationes atque mandata, quas idcirco secum ferebat; et licet debuissimus expectare et cognoscere quod Reverentia vestra et Diffinitorium videret et examinaret Jura quae secum ferebant et cognoscerent an erant sufficientia, et sequi ordinem circa illud nobis dandum, nihilo minus tamen uti parum practici in negotiis et non praemoniti sed ex abrupto non datis induciis quod illud cuiquam communicare ex quo expectassent tempus quo aderant a domo. Pater magister Bernal pater diffinitor⁴²⁾, fr. Emmanuel de Herrera⁴³⁾, et pater Abbas de Bellpuch⁴⁴⁾, qui poterant illud impedire et resistere, metuque Censurarum et excommunicationum quas in nos fulminaverant et videndo quod dictus Abbas et fr. Antonius de la Torre⁴⁵⁾ praestiterant illi obedientiam; nos quoque idem fecimus; et postea citra animadvertentes et considerantes quod id facere non debueramus absque ordine et mandato Reverentiae vestrae, et quod illa actio fuit exorbitans, accelerata et inconsiderata, displicet nobis eam fecisse, ideoque illi melioribus modo et forma quibus possumus illam annullamus adque derogamus, protestamurque quod per illam nullam acquirat Jurisdictionem praefatus Abbas Parcensis, neque praejudicet Religioni et humaniter supplicamus vestrae Paternitati Reverendissimae, quatenus tamquam Pater ignoscat nobis errorem, quem in hoc considerantes culpam nostram cognoscentes et quod ideo punitionem meremur, licet nullo modo malitiose peccaveri-

⁴⁰⁾ Fr. Real abbas erat S. Norberti Matritensis. Cfr. supra, n. 29.

⁴¹⁾ A. della Torre, cfr. supra, n. 30.

⁴²⁾ Cfr. supra, n. 3.

⁴³⁾ Emmanuel Herrera de Tordesillas obiit 7 Julii 1675. Definitor Provinciae fuit aa. 1630-1633; Abbas Provincialis seu Generalis aa. 1654-1657; Abbas in Avila: 1651-1652; in S. Joachim Matriti: 1645-1651; in S. Norberto Matriti: 1639-1642; 1657-1760; 1664-1666. Cfr. N. BACKMUND, in *Hispania Sacra*, l.c., p. 452; Juxta L. GOOVAERTS, o.c., t. I; p. 384, conscripsit: *Coeremoniale Romanum cum Manuali ad usum Ordinis*. Hoc opus, ita Goovaerts, l.c., curavit typis mandari, a plerisque Cathedralibus postea adoptatum.

⁴⁴⁾ Abbatia Bellipodii (Bellpuig de las Avellanas), in Catalonia, generatim ratione quodammodo separata vivebat ab aliis Abbatibus Hispaniae. Eo tempore, inde ab anno 1626, uti videtur, abbas erat Michael Claverol. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, t. III, p. 167.

⁴⁵⁾ Cfr. supra, n. 30.

mus, nosque subijcimus cuilibet poenitentiae quam vestra Reverentia nobis ideo imposuerit. In hoc faciet Dominatio vestra tamquam pater, nos autem recipiemus non modicam gratiam». Declaratio ista a Priore Conventus et pluribus aliis religiosis subscribitur. Et die 16a ejusdem mensis Januarii a secretario Conventus Patri Provinciali seu «Generali» Provinciae traditur⁴⁶⁾.

In nota addita a defensore Hispanorum additur: «In Hispania numquam fuit Generalis [Praemonstratensis Dominus], neque necesse fuit, quod a tempore quo habuit principium in hisce Regnis, scilicet a quingentis annis, fuit gubernata ab uno Vicario Generali, qui visitavit duo prima monasteria sub nomine gloriosae Virginis Mariae de Retuerta⁴⁷⁾, et de la Vid⁴⁸⁾; illorumque Abbates visitabant caeteros Conventus tamquam filiationes suas, et istud duravit usque ad annum 1575, de quo anno factae fuerunt Constitutiones reformatae in dictam Religionem Hispaniae et creatus fuit unus Provincialis, cui postmodum per Breve foel. recordationis Clementis VIII⁴⁹⁾, attributum fuit et in dictis Constitutionibus datus fuit ordo formaque visitationum omnium Conventuum, et quomodo nominandi sunt Visitatores et illorum qualitates, quod observatum fuit et observatur exacte faciendo binas visitationes singulo quoque triennio, alteram per visitatores nominatos, alteram per patrem Generalem; et hinc non indigeat Visitatore Galliae. Demum et post dictas Constitutiones numquam reperietur quod Abbas Praemonstratensis Galliae accesserit ad visi tandos Conventus Hispaniae neque miserit ad hoc Commissionem, quo mediante Principalis meus tamquam Generalis et universa Religio praedicta reperiuntur in possessione quieta et pacifica non habendi dependentiam et nequendi visitari a dicto Abbate Galliae, neque ab illius Commissariis».

13. Huic expositioni, ex parte sua, respondet Secretarius Abbatis Drusii, vi muneris sibi in hac visitatione commissi, Didacus de Gamirondo. Declaratque, inter alia: «Nihil refert dicere quod Jura Commissionis suae, quorum fecit exhibitionem, non sunt authentica, neque sunt expedita in forma necessaria ut faciant fidem in aliis Regnis,

⁴⁶⁾ Hispani suum Provincialem generatim suum Generalem dicebant. Cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, t. III, p. 223.

⁴⁷⁾ Cfr. de Retuerta, seu Retorta, N. BACKMUND, *Monasticon*, t. III, 279—282. Habebatur in Hispania uti mater et caput Reformationis ibidem saeculo decima introductae; in illa abbatia residebat Abbas Provincialis seu Generalis Congregationis.

⁴⁸⁾ La Vid, seu Vitis: cfr. N. BACKMUND, *Monasticon*, t. III, pp. 305-311.

⁴⁹⁾ De hoc Brevi Clementis VIII, edito anno 1593, in favorem Congregationis Hispanorum iterum sermo est. postea.

quia illorum authenticatio est manifesta, et sunt expedita secundum stilum ordinarium absque eo quod sit necessaria subscriptio scribae aut aliorum approbatio... Neque obstat quod adhuc in Gallia non habet tale nomen sed solum Abbatis Praemonstratensis, quia de contrario expresse constat cum vocetur talis Abbas et Generalis; et sic est talis in Hispania et caeteris Regnis tamquam Caput totius Ordinis. Hinc etiam non obstat dicere quod praedictus Generalis numquam fuit visitator Ordinis in Hispania ab illius fundatione in hisce Regnis quae supponitur ab annis quingentis, et quod gubernabatur per unum Vicarium Generalem qui visitavit duos primos Conventus, quia ea omnia excluduntur per easdemmet Constitutiones⁵⁰), absque eo quod contigerit dubitari de re simili, et ex Reformatione quae facta fuit a^o 1570^o evidentius constat, eo quod exhibeatur Breve aliquod, et quod Provincialis, quem Generalem post illius Reformationem vocant, sit exemptus ab obedientia Generalis et Capituli Generalis dicti Ordinis, et post dictam Reformationem recognita fuit praedicta subjectio et dependentia scriptis litteris ad Generalem anno 1581^o, mittendo fratrem Hieronymum de Villaluenga, Secretarium istius Congregationis et Provinciae, et in recognitionem obedientiae mittendo quoddam Jocale⁵¹)...». Pergitque: «Denique minus obstat quod numquam Generalis Ordinis, qui est Abbas Praemonstratensis venit ad visitandum Conventus Hispaniae, nec dedit Commissionem ad hoc; quia ultra quod semper visitationes fiebant de illius ordine et mandato, quando non visitasset, cum sit, prout est, Caput Ordinis, id facere poterit, quando sibi videbitur prout facit aliquis Episcopus, et sua Majestas in suis Cancellariis, et Consiliis, licet numquam actum fuerit, et ad fundandum istud Jus, opus erat volente Generali visitare, non praestare illi consensum cum acquiescentia sua ad probandum non usum et praescribendum, quod evenit; verum quod adfuerunt bella aut aliae causae ob quas dilatum fuit, et ad praesens adsit major necessitas dictae visitationis... Porro subjectio Capituli Generalis est manifesta, cum per Constitutiones ordinatur, quod mittatur ad illud aliquis Abbas hujus Provinciae sumptibus, impedimento cassante».

14. Allegatur deinde et commentario instruitur Breve S.P. Clementis VIII. Quod Breve haec continebat: «Quae ad prosperum Religiosorum statum pertinent, ea cum a Nobis petuntur, libenter concedimus, prout in

⁵⁰) Agitur de Constitutionibus separatis pro Hispanis, editis, in prima editione earum, a. 1580. Cfr. supra, n. 37.

⁵¹) Cfr. supra, n. 26.

Domino salubriter conspicimus expedire. Supplicationibus siquidem ex parte dilectorum filiorum Superiorum et monachorum Hispaniarum Ordinis Praemonstratensis per eorum Procuratorem in Romana Curia residentem Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, harum seriem perpetuo ordinamus et statuimus ut in qualibet domo sive monasterio dicti Ordinis novitii in eo recipiendi pro tempore ali et instrui debeant, nec ad alias domus seu monasteria mitti seu ex illis in quibus recepti fuerint exire, nisi ex causa studiorum per biennium post emissam professionem possint; utque Visitatores ad visitandum totam Congregationem deputandi nequeant esse ex numero Abbatum actualium, quos a monasteriis deesse non decet, sed ex numero eorum qui alias Abbates et Superiores fuerint, aut Congregationis ac ut Reformatoris Generalis nomine deinceps in perpetuum tenore praesentium concedimus et indulgemus; sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis censi, et ita per quoscumque Iudices et ordinarios et delegatos, et causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis et eorum cuilibet cuivis aliter iudicandi et inter praestandi difficultatem, facultate et auctoritate iudicari et diffiniri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter aut ignoranter contigerit attentari decernimus. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae dictae Congregationi ejusque Superioribus et monachis ut eidem praemissae executioni mandari et perpetuo observari procurent...».

De Brevi isto agens, defensor Jurium Abbatis Drusii, haec, inter alia, animadvertit: «Minus obstat dicere quod ex praesentato Brevi... constat de exemptione Religionis Hispaniae a Religione Gallica..., quia nullo modo extat ejusdem dispositio in dicto Brevi; solum enim disponitur quod Visitatores non sint Abbates actuales, ne domuum suarum regimen negligant; sed quod sint ex illis qui tales constituti vel ex quatuor Magistris per Congregationem nominatis, et quod Superior illorum⁵²) possit vocari Reformatore generalis, quod non probat praetensionem contrariam, cum in effectu istud solum indicet ordinarium officium et superioritatem respectu totius Congregationis. Caeterum non tollit subordinationem Capiti totius Ordinis, cui non solum idemmet Reformatore verum etiam universa Congregatio est subjecta... Demum nihil refert dicere quod si celebrarentur Capitula Generalia et Hispaniae uno eodemque tempore, illuc accedere non possent Hispani quoniam id procedere posset si omnes accedere deberent, sed solum disponit quod

⁵²) Superior Praemonstratensium in ipsa Hispania.

accedet unus Abbas; quod infert precisam dependentiam, non autem separationem Ordinis, et ire seu accedere est actus obedientiae recognitionis».

15. Die 9a mensis Februarii, de hoc negotio actum est Matrili coram «Dominatione», seu coram Nuntio Apostolico. Et ex documento hac occasione prolato, notum fit illud quod positoni Abbatis Drusii ex parte Hispanorum opponitur et respondetur. Ex parte fr. Garciae Alvarez Ossorio, Reformatoris Generalis Hispanorum⁵³), haec affirmantur: «Primo nego quod Abbas Praemonstratensis Galliae sit Caput et Generalis totius Ordinis. Tum quia dato et non concessio, quod talis foret, non tamen habet Jus neque titulum visitandi Religionem Regnorum Hispaniae; sed Principalis meus⁵⁴); illam habet et Capitulum Generale, ex confirmatione fel. rec. Clementis VIII, quo mediante exclusum remanet quodlibet Jus quod in contrarium afferri posset absque necessitate majoris derogationis quam illa quam habet...; notandum est ultra per me allegatum, quod in tempore quo constat factam fuisse, non potest praejudicare neque esse alicujus momenti contra intentionem meorum principalium. Demum quia juxta Constitutiones habitus et modus vivendi Religionis Galliae sunt diversissimi ab habitu et modo vivendi Religionis Hispaniae; et idem est in precibus; quod non erat sufficiens ad denegandum quod in contrarium praetenditur... Praeterea dico quod dicere quod ante annum 1571⁵⁵), quo tempore factae sunt Constitutiones reformatae, visitabat monasteria Hispaniae Abbas de Retuerta, autoritate Generalis et Capituli Galliae, est voluntarium et caret fundamento, quia in Hispania numquam facta fuit visitatio de ordine neque autoritate Capituli Generalis Galliae, et Abbas de Retuerta non visitabat omnia monasteria, sed illa sola quae fundaverat...».

Talibus assertis ex parte Hispanorum, respondit defensor jurium Abbatis Drusii, proferendo conclusiones illas simpliciter negando, iisque absolute contradicendo.

16. Per octo dies, causa litigii actitata est coram Nuntio Apostolico, Caesare Monti. Qui, die 20 Februarii 1632, decisionem suam manifestat. «Dixit quod prorogabat et prorogavit in totum inhibitionem ab hoc Tribunali emanatam, ad hoc ut dictus Abbas Parcensis minime procedat

⁵³) Cfr. supra n. 4.

⁵⁴) Agitur semper de usibus Hispanorum, non de Domino Praemonstratensi.

⁵⁵) Cfr. E. VALVEKENS, l.c., pp. 19-22.

nec transeat ad ulteriora in visitatione donec aliud provideatur et declaretur a Sanctissimo».

17. Causa litigii inter Abbatem Drusium, qua visitatorem, et Capitulum Generale Ordinis ex una parte et Praemonstratenses hispanos ex altera parte, tractanda commissa est Gregorio du Crocq, qui Romam mittitur a Domino Praemonstratensi ut in Urbe causa et jurisdictio Abbatis Praemonstratensis in totum Ordinem vindicarentur. Ipse du Crocq narrat ea quae fecit sub hoc respectu in codice manuscripto Laon 538. Scribit du Crocq: «Ego, fr. Gregorius du Crocq, Procurator Generalis Ordinis Praemonstratensis in Curia Romana⁵⁶), Sacrae Congregationi Episcoporum et Regularium praesentavi sequens Memoriale anno 1654 (notetur abbatem Drusium defunctum esse corrente anno 1634) et vigore illius impetravi a dicta Congregatione litteras ad Nuntium Hispaniae, qui Romae citaret nostros Hispanos ad respondendum. Et postquam dictas litteras misi ad dictum Nuntium, reversus sum Praemonstratum quia deficiebat victus et correspondentia». Proinde, negotio infecto, du Crocq reversus est ad propria in Galliam, perspicuens se non amplius aliquid positivi praestare relate ad missionem procuratoriam sibi injunctam.

In documento a du Crocq S. Congregationi exhibito, totam quaestio, litigii origo, summarie exponitur. Tum facta et eventus quae in illa visitatione occurrerunt explicando, tum fontes juridicos indicando juxta quos dicta visitatio canonica Abbatis Drusii recta et justificata dici debebat. Principalia elementa juridica in hoc documento relata, haec sunt: «Principale negotium in his 4 punctis consistit: Primo: An Abbas Praemonstrati, qui est Generalis Ordinis, possit visitare Ecclesias et Canonicos dicti Ordinis in Hispania existentes, loquor autem de solo Abbate Generali seorsum a Capitulo Generali-non etiam de Capitulo Generali; quia non est eadem utriusque Jurisdictio, siquidem Abbas Generalis per se vel per suos deputatos visitat totum Ordinem et singula ejus membra vigore Juris Paternitatis, seu quia est Pastor omnium Canonicorum ejusdem Ordinis; et quia Praemonstratensis Ecclesia, cujus est Abbas, est mater et prima origo dicti Ordinis. Capitulum vero Generale, quod supra Generalem est, et cui Generalis obedientiam praestat ab eoque visitatur, visitat etiam totum Ordinem uti supra; nam in Ordine Jurisdictionem habens. Et Visitatores a solo Generali deputati reddunt ei soli rationem actionum suarum. Qui vero a Capitulo Generali

⁵⁶) Cfr. supra, n. 22.

delegati fuerunt reddunt rationem Capitulo Generali, sine tamen exclusione Generalis, quia Capitulo praesidet. Quaestio igitur est an Abbas Generalis per seipsum vel per alium a se deputatum possit uti Pastor universalis visitare Hispanos, sicut potest visitare fratres Germanos et caeteros cujuscumque sint nationis.

Secundo, an Capitulum Generale quod ordinarie in Gallia dicto Abbate Generali indicente et praesidente, celebratur, possit deputare Visitatorem pro dictis Hispaniae Ecclesiis et Canonicis visitandis.

Tertio an dicti Hispaniae Canonici et eorum Ecclesiae teneantur per suos delegatos interesse Capitulo Generali cum subjectione et Juribus activis et passivis reliquis dicti Ordinis Ecclesiis et Provinciis competentibus.

Quarto: An Provincialis ab Hispanis capitulariter electus debeat petere Confirmationem ad Abbate Praemonstratensi uti Generali? Non videtur autem primum punctum posse dubitationem admittere; tum quia commune est omnium Religionum Generalem posse visitare omnes et singulos Ordinis Religiosos eorumque loca et monasteria; tum quia id in Statutis antiquissimis dicti Ordinis de Abbate Praemonstatensi supponitur tamquam primum principium?

Responsum juxta mentem du Crocq his quatuor punctis dandum dubio non vacat. Abbas Praemonstratensis et Capitulum Generale totius Ordinis illa jura possidet; et proinde visitationes tales canonicas in toto Ordine ordinare et perficere potest.

Hispani vero ex sua parte sese opponebant propositionibus Procuratoris du Crocq; ex utraque parte recursus factus fuerat ad Sacram Congregationem Romanam dictam. Ideo concludit du Crocq suam defensionem hoc modo: «Ex quibus mirum videtur cur Illustrissimus Dominus Caesar Monti, tunc Nuntius Apostolicus et Judex, visis tam claris documentis non administraverit Justitiam Patri Drusio Visitatori, sed eam et adversam remiserit ad Sedem Apostolicam pro obtinenda Justitia... Ne autem diutius dicta quatuor puncta non remaneant irresoluta, Pater Procurator Generalis Ordinis pro eorum gratiose resolutione humiliter atque debita cum instantia supplicat».

18. Conclusio data huic disputationi juridicae a du Crocq in manuscripto ad ipso conscripto non indicatur. Tradit autem, p. 591 manuscripti, ordinationem anno 1580 Hispanis Praemonstratensibus a parte Summi Pontificis concessam. Quae ita sese habet: «Gregorius (XIII), Episcopus, servus servorum Dei etc. Nos igitur praefati Ordinis Praemonstratensis commodo et conservationi consulere volentes, habita

super rationibus per dictorum Generalis et Provincialis, etc. parte propositis consultatione, cum venerandis fr. nostris S.R.E. Cardinalibus super negotiis Praelatorum praepositis, ex certa nostra scientia deque apostolicae potestatis plenitudine per praesentes perpetuo statuimus omnes et singulos Abbates dicti Ordinis in Hispania non perpetuos sed triennales duntaxat esse debere, donec aliud a Nobis aut Successoribus nostris ordinatum fuerit. Caeterum electiones ipsorum Abbatum ab unoquoque Conventu juxta Conciliorum sanctionem et praesertim decreta Concilii Tridentini non autem a Diffinitoribus Capituli Provincialis fieri debere. Illum vero qui per triennium quoque, non transacto alio triennio eligi non posse Provinciale quoque seu Vicarium et Visitatorem Generalem Hispaniae; in Capitulo Provinciali eligi debere unus qui non sit Abbas, ut omnia totius Provinciae monasteria expeditius visitare queat; quique statim ut electus fuerit, omnimodam in dicta Provincia Hispaniae auctoritatem habet quam Generalis in universo Ordine, praeterquam cum ipsemet Generalis in Hispania fuerit, tunc eam tantam auctoritatem habet quam illi Pater Generalis impertierit. Teneatur autem ipse Provincialis sic electus confirmationem a dicto Generali, omni mora postposita, petere. Utque uniformitas divini officii in toto Ordine servetur, sicut etiam a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus commendata est, Missae et alia divina officia, processionesque juxta antiquum et supra decentes annos observatum ipsius Ordinis monasticum ritum in omnibus ejusdem Ordinis Ecclesiae tam in Hispania quam alibi existentibus peragantur. Abbatibus et Diffinitoribus in Capitulo Provinciali Hispaniae, quaecumque statuta dummodo Constitutionibus Apostolicis et Concilii Tridentini decretis, auctoritati- que aut honori ipsius Generalis non repugnent, pro bono ipsius Provinciae regimine condendi et condita mutandi aut alterandi, prout temporis ratio suadebit, facultatem perpetuo concedimus et elargimur...».

19. Hac ratione documenta ab ipso du Crocq composita et scripta, finem habent. Numeratio tamen paginarum finem ita non habet; indicatur quidem pag. 592 manuscripti. Quin tamen aliquid in hac pagina ultima inscribatur.

De facto proinde visitatio ex parte Domini Praemonstratensis ac Capitulo Generali quaedam post visitationem Abbatis Drusii decisam et susceptam non amplius locum habuit; de facto enim non sine speciali energia ab Hispanis repulsa est, quasi contraria fuerit ordinationi ipsis illis Hispanis specialiter a Nuntio Apostolico, imo a Sede Apostolica concessae.

20. Ordinem vero, ex sua parte, quaestionem de visitatione Drusii apud Hispanos Praemonstratenses, non ut solutam habuisse, sequitur ex decisione Capituli Generalis a. 1657 (ms. Laon 538, p. 738), in qua hoc legimus: «Audita relatione status a bonae memoriae Ioanne Drusio, abbate Parcensi, a Capitulo Generali ad visitandum Hispaniae Circariam in Curia primum Catholici Regis Matriti, deinde in Curia Romana contra patres eiusdem Circariae recusantes Visitatori praedicto obtemperare, motae, Capitulum procuratori Ordinis in Curia Romana constitutum mandat ut dictam litem prosequatur».

J.B. VALVEKENS, O. PRAEM.